Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis decimaquarta Martii.

M. PAULO COURTOIS, Doctore Medico, & Profeſſore Regio, Præſide.

An ſanis, & ægrotis benigna & ſimplicia alimenta, medicamenta?

MANET vita curſu, quem dedit Natura, facili à carceribus ad calcem peragenda (abſint modò fortuita) quamdiu ſolidæ partium ſubſtantiæ conſertus eſt humor primigenius, minimè aquoſus ac diffluens; ſed aerius pinguis, & lentus; cum eóque ſocietatem coit Nativus calor, ab elementis quidem ductus: at effectuum, agendíque præſtantiâ ipſo cælesti potior: æternus futurus, ſi quantus ab initio, & ſimillimus, continenter accedat: brevíque extinguendus, niſi refectum is veniat, qui ab arce vitæ jugiter manans, collucénſque membris, cuncta pervadit, ac vel in abdita oſſium penetralia vim ſalutarem cum alimento diffundit. Planè dum plurimùm pollet, nihil non efficit: tres unus corporis provincias, artúſque præterea omnes regit, tuetur, ac recreat. Nec raró ex derelictis morbis inopinatò fert palmam; tunc lemniſcatam, ubi & funere elatos per ſe revocat ad vitæ officia.

QUò perpetuò vigeat, è re quidem eſt ut exercitatione, & vigiliis ſuſcitetur, non diſſipetur: ſomno, & quiete inſtauretur, non obtorpeſcat: vilibus eſcarum detrimentis foras ſe dantibus, lenis aura ſubeat, quâ, & ductâ ore animâ temperetur, non diffletur: nec turbidis animi motibus repente exardeſcat, paulatímve carpentibus elidatur. At quoniam ſuâ licet indole fugax, lenti, quo detinetur, humoris prædator eſt aſſiduus, ad ſarciendam utriuſque deceſſionem, opus eſt alimento, quod nulla res æquat; ut præmolli & manſueto partes ſuum magis, quàm ſemini debeant incrementum, robur, & perennitatem. Ne fatiſcant rore hoc vitali defectæ, quotidie, ne ſemel quidem, fame ſitíque incitamur ad eſculenta ingerenda, & potulentis miſcenda, mollienda, diluenda. Eorum porrò delectus, ac modus ſummi ſunt ad vitam momenti. Quantum alimentum ab alimento diſcrepet, indicio ſunt quæ nitent corpora victum elegantem colentium; viſúque horrida preſſorum annonâ duriori: Nempe dum in membra ſe induit, ſuis ea qualitatibus imbuit. Quamobrem anceps, coctu contumax, quod ægrè ſemigrat, promptéque putreſcit, abdicandum: fœdum itidem, & acre, ne quam gerunt in ſinu pravitatem affricent. Aridum, & frigidum ſenſim minuunt corpus, quod uno amplificatur, florétque humido & blando, cæterorum Principe.

UT Craſſo præſtet liquidum, nihil refert tenue ſit, ac fluat; ſi lixivii, muriæve inſtar, fervidum eſt, mordax, aut ſalſum; eò latiùs vaſtaturum, quò celeriùs occuparit omnia. Ejuſmodi cibariis, uti generoſo ac diſtillato vino, non parum de vitæ demenſo detrahitur; uſtis ſiccâ tabe præcordiis. At quàm illi ſit amica mollities & dulcitudo, fidem extorquet rerum Parens, quæ & in utero, quem finxit hominem liquidiſſimo ſanguine; & in lucem emiſſum, uno alit augétque lacte, quod & annis, ſtaturæque apponit. Ab ubere depulſo, & abſtemio, dum ineſt caloris humoríſque ſuavitas, vivida eſt ſanitas, vix, niſi morbis ab ingluvie, violanda; pluribus, ſtatim atque molliculus mitíſque victus ejuratur. Ut diſcedas ab homine, clamne eſt tot monſtra quæ cælat aqua; tot quas terra ſuo dorſo ſuſtinet belluas, quæque ab ea in cœlum exeunt arbores, propter áquæ rivos lætiores, tantum facere corporis, quantum in ſe habent ſucci benignioris & uvidi. Ne demum titillante gulâ epularum modus deſideretur, impárque ſit calor multiplicibus, plerumque & diſcordibus cibis unà conficiendis, latrantem patulâ expectatione ſtomachum placet ſimplex atque parabilis, ſimul, & facilè transformandus in ſyncerum ſanguinem, expeditè mox recoquendum, & per venarum fiſtulas quoquoverſus digerendum.

PAR ratio Medicamentorum, quorum alia tantùm immutant corpus, quod etiam ad illuviem foras ejiciendam ſollicitant cætera, inde dicta purgantia. Inter prima, quæ à temperie media, in qua ſanitas eſt, disjunctiſſima, peſtifera; quæ propiora, minimùm: ſed levia ab his compendia. Quin ſi morbi omnes fere à ſanguine, & calore nimio; plus ferrent opis ſectæ venæ, cautáque vitæ lex. Sed ſint ex uſu aliqua, dum, ut olim, apta & ſimplicia. Quorſum enim tot futiles potiones, tot præpoſteræ & luxurioſæ compoſitiones, ex infinita Medicaminum æſtuoſorum, diffidentium, malignorúmque farragine, & monſtroſis venenatíſque carnibus, ſuam ſcilicet feritatem unâ mixtione poſituris? His tamen titulo ſolo cardiacis luduntur incallidi, quibus cùm morborum, tum medicamentorum perhibentur remedia. A vanâ confuſione reliquorum nec magnetis modo; nec imperioſo delectu; ſed irritando purgantium, majora adhuc damna. Næ quando, quod caput eſt, domitus à Natura humor, ſeu ſeri lactis, ſeu copioſæ aquæ potu emotus; ſæpe & ſponte ſuâ per patentes corporis irrigui vias ſalutariter effluit; durus eſt, qui tot junctis fruſtra Pharmacis ingratiſſimis multifariam torquet ægrotantem. Neque hæc ſola ab ipſis mala.

LONGE gravior ſtrages ab infuſis violentis Elleboro, Scammonio, Colocynthide, Elaterio, Præcipitato, Sublimato, Arrhenico, & cognatis, quæ vel χαλκέντεςιν; niſi lacerant, necant; labe ſaltem mulctant vix delendâ. Suo quippe truci calore, ſuáque ſiccitate, ſanguinem & ſpiritus incendunt, torrent viſcera, peruſtos humores fœdos impingunt, víque maleficâ furiatos venenant. Quid ſi ipſiſmet revelati aliqui? Et impune ex alto deſiliére nonnulli, quibus erat ſcalæ copia. Eóne periculoſis dirè attentes, quod probatis pulchrè expleas? viribus, viſceribúſque integris, ſine quibus iſta mortifera. Rem ſecat intellecta purgatio, commune quidem Naturæ, & Pharmaci opus: At enim cùm præcipuæ ſint partes illius, quæ Cauſa effectrix; minores hujus, quod merum eſt Inſtrumentum; Medicum exuit, qui cum morbo pugnat, abſque Natura, ab omnibus quæ effrænatè agunt, averſiſſima. Malè geri quidquid ſummâ vi geritur, pridem viſum Medicorum Antiſtiti, non ſemel rigidè vetanti plurimùm & repente extrudere: imò illud inculcanti, ῥαςώνη μᾶλλον ἢ βίῃ. Et quæſo ſi Natura à ſingulis corporis ſani partibus continuò purgamenta decerpit, ſeparat, ac depellit; num ceſſatione torpebit, à purgante laceſſita? ac non potiùs, ceu contra pondus palma; ſic adverſus hoſtem generoſè conſurget? Quem hæc fugiunt, is nondum artis tyrocinio exiit.

Ergo ſanis, & ægrotis benigna & ſimplicia alimenta, medicamenta.



Proponebat Lutetiæ JOANNES-BAPTISTA DOYE Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.